



MINISTÈRE  
DE L'ÉDUCATION  
NATIONALE

EAE LCL 5

SESSION 2018

---

## **AGREGATION CONCOURS EXTERNE**

**Section : LETTRES CLASSIQUES**

**VERSION LATINE**

Durée : 4 heures

---

*Les dictionnaires latin-français Bornecque, Gaffiot (y compris la nouvelle édition 2000), Goelzer et Quicherat sont autorisés.*

*L'usage de tout ouvrage de référence, de tout autre dictionnaire et de tout matériel électronique (y compris la calculatrice) est rigoureusement interdit.*

*Dans le cas où un(e) candidat(e) repère ce qui lui semble être une erreur d'énoncé, il (elle) le signale très lisiblement sur sa copie, propose la correction et poursuit l'épreuve en conséquence.*

*De même, si cela vous conduit à formuler une ou plusieurs hypothèses, il vous est demandé de la (ou les) mentionner explicitement.*

**NB :** *La copie que vous rendrez ne devra, conformément au principe d'anonymat, comporter aucun signe distinctif, tel que nom, signature, origine, etc. Si le travail qui vous est demandé comporte notamment la rédaction d'un projet ou d'une note, vous devrez impérativement vous abstenir de signer ou de l'identifier.*

**Tournez la page S.V.P.**

## INFORMATION AUX CANDIDATS

Vous trouverez ci-après les codes nécessaires vous permettant de compléter les rubriques figurant en en-tête de votre copie

Ces codes doivent être reportés sur chacune des copies que vous remettrez.

| Concours | Section/option | Epreuve | Matière |
|----------|----------------|---------|---------|
| EAE      | 0201A          | 105     | 0310    |

## Rien à craindre de la mort ou de la vieillesse

Equidem efferor studio patres uestros, quos colui et dilexi, uidendi, neque uero eos solos conuenire aueo quos ipse cognoui, sed illos etiam de quibus audiui et legi et ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit nec tamquam Peliam<sup>1</sup> recoxerit. Et si qui deus mihi largiatur ut ex hac aetate repuerascam et in cunis uagiam, ualde recusem, nec uero uelim quasi decurso spatio ad carceres a calce reuocari. Quid habet enim uita commodi ? Quid non potius laboris ? Sed habeat sane, habet certe tamen aut satietatem aut modum. Non lubet enim mihi deplorare uitam, quod multi et docti saepe fecerunt, neque me uixisse paenitet, quoniam ita uixi ut non frustra me natum existumem, et ex uita ita discedo tamquam ex hospitio, non tamquam domo. Commorandi enim natura deuorsorium nobis, non habitandi dedit. O praeclarum diem, cum in illud diuinum animorum concilium coetumque proficiscar cumque ex hac turba et colluione discedam ! Proficiscar enim non ad eos solum uiros de quibus ante dixi, uerum etiam ad Catonem meum quo nemo uir melior natus est, nemo pietate praestantior ; cuius a me corpus est crematum quod contra decuit ab illo meum, animus, non me deserens sed respectans, in ea profecto loca discessit quo mihi ipse cernebat esse ueniundum ; quem ego meum casum fortiter ferre uisus sum, non quo aequo animo ferrem, sed me ipse consolabar existumans non longinquum inter nos digressum et discessum fore.

His mihi rebus, Scipio, (id enim te cum Laelio admirari solere dixisti) leuis est senectus, nec solum non molesta sed etiam iucunda. Quodsi in hoc erro qui animos hominum immortalis esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum uiuo, extorqueri uolo ; sin mortuus, ut quidam minuti philosophi censeant, nihil sentiam, non uereor ne hunc errorem meum philosophi mortui irrideant. Quodsi non sumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura ut aliarum omnium rerum sic uiuundi modum. Senectus autem aetatis est peractio tamquam fabulae cuius defatigationem fugere debemus, praesertim adiuncta satietate.

CICÉRON

---

<sup>1</sup> Pour punir Pélidas d'avoir détrôné et mis à mort Éson, père de Jason, Médée persuada ses filles de le rajeunir en le découpant et en le faisant bouillir dans un chaudron. Ce fut un échec et Pélidas mourut.